



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

2. Quòd parentes non debent cogere filios ad matrimonium illius aut alterius personae, sed liberum permittere.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

Dei ordinatio labefactetur, id quod Apostolus iubet  
1. Cor. 14. omnia debere decenter & honestè, id est, si-  
ne scandalo fieri &c.

Secundo, parentes peccant si filios suos cogunt <sup>2a</sup>  
propter diuitias aut aliam ob causam ad matrimo-  
nium huius vel illius personæ, maximè quandò con-  
scientia & amor reclamant, Apostolus 2. Corint. 13. in-  
quit, Potestas, scilicet ad regendum animas, non est  
data in destructionem, sed in ædificationem. Ideò pa-  
rentum potestas non extendit se amplius, nisi quan-  
tùm filijs cõducit ad ædificationem cõscientiæ ipso-  
rum & animæ salutē. Qui ergò cogit filiũ suũ, vt hæc  
ducat, velit nolit, & vbi nec amor nec gaudium appa-  
ret, facit Tyrannicè, & abutitur sua potestate, & par-  
ticeps erit omnium malorum quæ postea euenient.  
Nec viri potestas est erga vxorem ad destructionem  
conscientiæ, sed ad ædificationem. Nec regis pote-  
stas est in subditos ad destructionem contra conscien-  
tiam animarum salutem, sed ad ædificationem: aliàs  
dicendum est, oportere Deo magis obedire quàm ho-  
minibus, Actorum quinto. Quòd si filius obedierit  
aut filia parentibus secundum illud Euangelij dictũ,  
Matth. 5. Si quis te adegerit ad vnum milliare, vade  
cum illo & alia duo: quia Christianus debet pati ini-  
uriam, & nulli facere: attamen parentes nõ sunt ex-  
cusati à peccato. Deus non coëgit Adam, sed osten-  
dit solum ipsi Euam suam, Genes. 2. Ideò tales filij  
coacti hoc faciunt, & habent patientiam cum Iacob,  
qui postquàm septem annis seruisset pro Rachele,  
quam amabat, obrusa ei fuit Lia lippis oculis, Gen.  
29. Sed commisit hoc Deo, & Deus fuit cum illo.

Tertiò, filius aut filia non debet contrahere voto <sup>3.</sup>  
cum aliquo sine scitu aut consensu parentum: nam  
Dei est præceptum, Honora patrem & matrem &c. et.  
nec habetur exemplum in tota scriptura, quòd vo-  
uerint filij aut contraxerint soli inconsultis paren-  
tibus,